



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. LVI. Spica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOANNIS PIERII VALERIANI
 NI HIEROGLYPHICORUM
 LIB. LVI.

DE IIS QUÆ PER SPICAM, ET
 CEREALIA QUÆDAM ARMA
 significantur.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD JOANNEM ANTONIUM POLLIONEM,
 GELOUM PRIMATEM.



Q*ui* vero libentius Spicas & Cerealia quedam arma donarim, quam tibi iam prestanti viro, tam frugi, tam probo, tam benigno, tam liberali? qui præsertim spicam habes in gemina domestica nobilitatis insigne: addam etiam, qui Siculus es, magnoque regni acumine præditus, verum quo non nisi modeste utaris, atque sapienter. Ego enim ego semper hujus rei testis, qui prudentiam moderationemque tuam tandem experiri somni, cum in eodem convivimus contubernio, ad idem manus tecum à Clemente P. M. delegati, qui nepotes suos adolescentulos nobis commendarat, quos tanta rerum perturbatione vexatos, tristissimo illo tempore huc & illuc peregrè circumduximus, cum hostia essent omnia, adversa omnia, omnia infestissima. Tot ille erant insidia, quæ illi etiam at atque parabantur. Nos tamen per tot rerum omnium difficultates evicimus, ut sospites eos Clementi tandem restituro redderemus, atque ita moribus exaltos, quantum in utroque nostrum fuit, ut nihil jam ad nobilissime indolis insit ut conam desiderari possit. Neque vero Legationes tuas illas memorabo, Germanicas, Noricas, Pannonicas, Bohemicas, Gallicas, Britannicas, & alia tibi sæpe munera demandata, quibus gerendus talem te præstitisti, ut ob sapientiam & probitatem omnibus esses admirationi. Quod si consilii tui faciliores accessissent aures, in tot, quæ mox perperam sumus calamitates minime incidissemus: tot erant ea, quæ desperata ab aliis, ita tu dexteritate restitueras, nisi obstitissent fata, quæ prudentia tua sese opposuerant adversaria, vel, cum te verè loqui, optima sentire, salutaria consuleri homines cognoscerent, quod plerumque accidere solet, optima videntes, ad deterosa tamen frontem non declinassent. Sed hæc missa faciamus. Id unum propterea nunquam desissem, quam juvenum, quam suave mihi tum fuerit totum id vitæ tempus, quod in ea non nostra tantum, sed italis totius communi calamitate una conviximus: quantumque me tibi debere intelligam, qui non in noxam meæ consolando, cum deservarem omnia, rationem habueris, quam eorundem, qui nobis commendati erant principum. Quæ vero utique nostrum res præter omnium acciderint expectationem, quamque varia fuerit rerum fortuna, longè magis quam vellemus insident memoria, neque quidem si oblivisci velimus, ullo modo possumus. At dicit, Quorsum hæc rerum publicarum commemoratio, si de Spica & Cerealius futurus est sermo? nempe quod eo me tradidit earum rerum recordatio, quæ toties deambulando, sedendo, obsequitando, super iis quæ ad nos & principes nostros attinebant, fuerit sapius à nobis non modo prævisa, verum etiam deplorata. Idcirco neque ad pedem scribere, neque cum eo loqui, neque quicquam meditari, quod mihi non suggerat eorum sermonum memoriam, qui tam frequentes, tam necessarii quotidie intercedebant. At effluxere omnia hæc effluxerunt. Ut te igitur audiam, nobis quid nunc agendum, posteaquam studium, fides, industria, conatusque nostræ omnia in nihil profuit, quibus omnia prospera, felicia, fastisque cupiebamus, sed everisa omnia sunt, furore dæmonum, an eorum culpa, qui recta consulentes assernabantur? Velamine nos aliorum causa in periculis esse, an nostri studii, nostri officii remores ea meditari, quæ aliquam earum obliuionem assernabantur? Ego nempe post rem certam jam desperatione exclamantem, ad studia me meæque committam.

A illi hieroglyphicis, de quibus saepe tecum, nunc totus incubui: quas cum per sua quaque segmenta disponerem, visis mihi sunt polliceri, fore, ut hujus industria mea aliquis fructus vis, qui poltriores has literas affectantur, acquiri possit: quare labori nihil quicquam peperci, donec rem omnem digessissem. Ea vero quoniam in partes dividenda sunt, quae ad te pertinere arbitratus sum, tibi dedicavi. Utinam eo tu atque alii animo has suscipias, quo à me studio atque benevolentia conscripta sunt.

DE SPICA. CAP. I.

O Nyx ille tuus, Antoni Pollio, modiolus, qui spicas duas continet, insignis, ab cujus utraq; parte copia cornua arte admodum eleganti incisa conspiciuntur, vetustatis omnino veneranda monumentum, signum olim aut Aedilium fuisse, aut eorum qui rei frumentariae praerant facile credere possumus. Insigne
Antonii
Pollionis.

CERES. CAP. II.

Videre enim est Juliae Piae numum, ab cujus altera facie sigillum est laeva conto innixum, dextera spicam gerens, calathos ante pedes propositos, cujus inscriptio est, quarto casu Ceterum. Juliae Piae
numus.

ANNONA. CAP. III.

Est & T. Caesaris Vespasiani numus, in quo simulacrum est, quod dextera sigillum exporrigit, in laeva manu libella est, in altera cornu copiae, apposita navi, & calathos cum spicis: inscriptio ANNONA. In ejusdem aliquot aliis eadem omnia sunt praeter cornu copiae: ejus loco caduceum spectes: nam & is, ut alibi diximus, in felicitatis significatum accedit: quod pax ipsa, cujus symbolum est caduceus, rerum omnium copiam & affluentiam inducit. T. Caesaris
Vespasiani
numus.

AFRICA. CAP. IV.

Spectare vero est, Africae picturam eo libro, quem de Imperio, magistratibus, & militiae ordinibus Theodosianis temporibus conscriptum vidimus. Ibi enim, ubi de Praefectura Africae legitur, urbesque & officia & magistratus tota ea provincia distributa continentur, mulier quaedam inspicitur, pileo in primis cooperta caput, caerulea palla hinc inde ab utroque humero rejecta, eaque ad humum usque fusa, interiore vero tunica rubra, imo limbo ad pedis unius altitudinem albo, cujus superiorem inferioremque marginem autem fibrae duae circumcunt. Brachia nuda utrimque exporriguntur, binas utraq; manu spicas ostentantia. Sub pedibus naves duae frumento onustae, adpictae sunt literae superne, PRO COS. AFRICAE. Apud Horatium sane de terrae hujus fertilitate frumentariae legas: Africa
pi-
aura.

Quicquid de Libycis vertitur areis,
desumptum quidem ex Pindaro, qui *πρωτόδοτος λιβύνας* in Isthmiis dixit.

BRACCATI MILITES. CAP. V.

In hisdem monumentis observavi gestamen caeruleo colore subobscurum pictum, circulo nigro iuxta marginem circumducto, à summa cujus parte stella adpicta est radiis octo praedita: in medio orbiculus est eam umbilico, utroque coloris aurei: ab eo orbiculo usque ad circumulum, qui iuxta marginem est columella summissa coloris rubri: à lateribus columellae spicae duae utrimque surgunt singulae, quas aviculae totidem volatu suspensae impetunt. Insigne hoc erat eorum militum, qui BRACCATI IUNIORES appellabantur, militabantque sub militum Praefecturali tunc nuncupato, qui titulus eorum erat notus, qui Viri illustres vocabantur. Sed ut ad annonam revertamur, in Hadriani quoque numis corbis est cum spicis, & in Antonini, spicae & cornu copiae cum eadem ANNONAE inscriptione. Carm. libr.
l. od. 1. Fru-
ctiferam
& fru-
mentiferam Li-
byam.
Hadriani
& Anto-
nini Impe-
ratorum.

L. Livini
Reguli nu-
mismata.
Ad ver-
bum ab
Artem.
lib. e. 25.
Spica in di-
vino quid
& stipula.
Matt. e. 9.

QUE vero spicae duae, dolio vuis pleno in earum medio constituto, spectantur in numo I. Livi-
nei Reguli, proventum bonorum, fructuumque; copiam & feracitatem ejus viri magistratubere-
rem ostendit: nam ubi consultum est iis, quae cibo potuque inferviunt, annona omnis laege populo
videtur erogata. Usque adeo vero spicae proventus indicia sunt, & apud Conjectores reperitur, cum
qui natus in aure spicae per nocturnam imaginem videre visus fuerat, & delapsa inde granamosti-
bus collegerat, fratris mox demortui hereditate locupletatum: spicis quippe proventus, aere tri-
ternitatem ostendentibus: germanas enim invicem esse aures manifestum est. In Divinis quoque
literis spicae, hoc est, messis eodem modo proventum hieroglyphice significant, dicente Domino, *Messis quidem plu-
rima, operarii autem pauci admodum.* Humanam enim messem uredini, procellisque; obiectam, cupiebat ille in horrea aeternitatis suae transferre. Helychius Hierosolymitanus
pro messe accipit virtutes, quae ex Divini verbi semine oriuntur. At stipula pro nullius boni operis fructu ponitur:
unde Propheta lamentatur: *Hei mihi, ut factus sum sicut qui colligit stipulam in messe.* Idem paleae, ut illud, *Paleas autem uret igni.*

Esai. 17.
Luc. 3.

ÆSTAS, ET FRUGUM
INVENTOR.



Sanè plerumque invenias æstatem ipsam per spicarum fa-
sciculum significari. Unde apud Nasonem: *Stabat nu-
da æstas, & spicae ferta ferebat.* Nonnumquam vero messem
ipsam, alias & frugum inventorem.

Lia. Meta.

CAP. VII.

MESSIS. CAP. VIII.

In illi men-
si symbolo-
lum.

SED enim Hesiodus in Theogonia, falcem pro messe posuit, ubi dicit, *τοῦτο μὲν ἔστιν ἔργον, ἡ δὲ σὺν ἡμῶν*, subji-
ciunt interpretes, Drepanon messis tempus. Hinc juniores spicas duas, manipulos spicarum in-
terdum duos in transversum adclinatos, pro mense Julio ponere excogitant, quod nimium eo
mense messis omnis triticea demetatur.

TEMPUS. CAP. IX.

Macrob. li.
1. e. 8.
Eclog. 9.
Macrob. li.
10. Omnia fert ætas.
1. e. 10.

ET quod pertinet ad falcem, quoniam tempus omnia metit excusatque; & aufert, ideo falcem Sa-
turno attributam nonnulli volunt. *Æstas* enim Saturnus, cui tempora subjiuntur, quæ voce
eadem Græci sola adjecta aspiratione pronunciant, quippe *æ* in *æ* versa. In hanc sententiam Ma-
crob. li. 10, *Omnia fert ætas.*

AGRICULTURA. CAP. X.

ALIi falcem agricolationis totius signum arbitrantur, quod in signo Janus Sarano dedit à
messe & fertilitate, cui posteritas rationem etiam inferendi, & artem faciendi *fasculos fert* ac-
ceptas. unde Saturnum à *fatu* Latini vocitarint.

FRATRES ARVALES. CAP. XI.

Spicae co-
rona hiero-
glyphica.

ALioqui spinea corona fratres Arvales indicabat, quam primam Acca Laurentia Romulo faci-
ficanti dedit.

SACERDOTES ARVORUM. CAP. XII.

Instituti,
ut arva
fruges fer-
rent.

SI vero spinea corona vitta alba alligata esset, sacerdotes arborum significabant, quorum illud
erat insigne. At Cereris caput spicis redimitum spectavimus, in numis quibusdam, ab altera
quorum parte spica magna est nonnumquam sola, nonnumquam cum caduceo & liuo, eo quo in-
tulimus significato.

P A X. CAP. XIII.

QUin & pacis simulachrum cum spicis figuratur: unde Tibullus,

*At nobis pax alma veni, spicamque teneto,
profluat & pomis candidus ante sinus.*

*---Pax enim candida primum
Duxit araturos sub juga banda boves.*

Item,

*Pax aluit vires, & succos condidit uvæ,
Eunderet ut nato testa paterna merum.*

*Pace bidens vomerque vigent: ac tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.*

DIANÆ TRICLARIÆ SACRUM. CAP. XIV.

ERat & spica corona insigne atque gestamen eorum adolescentum, qui Dianæ Triclaræ sunt immolare soliti apud Patrenses, mollienda numinis indignatione, quam Menalippus atque Camarcho templo deæ turpiter violato in cives contraxere.

DE LOLIO. CAP. XV.

Triticæ coronæ gestaminive contrarium est lolium, quod quantum seges ipsa felicitatis affert, tantum hoc infelicitatis, & incommodi: secum enim invidiam, & quandam animi pravitatem trahit.

PRAVI MORES. CAP. XVI.

Morum enim corruptorum id omnino indicium est: quare Antisthenes non temere dicere solebat, absurdum esse triticum à lolio non repurgare, qui sentiret ex hoc invidos à Repub. summovendos, ut Plutarchus interpretatur: tam enim inutiles invidi sunt civitati, quam lolium est tritico; qui vero invidus est, suam ipse sibi fovet infelicitatem: quandoquidem Horatius ex Phalaridis sententia dicto sumpto,

Invidia Siculi non invenerunt tyranni

Majus tormentum, ait.

Et quod ad corruptos degeneresq; mores facit, ita Virgilianus pastor lamentatur,

Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcû,

Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.

Idem D. Laert. in Antistheno. Epistola 2. Et in Evangelio, Inimicus supereminavit zizaniam, id est lolium, inter triticum.

DE MILIO. CAP. XVII.

Virtus ideo humano generi utilis atq; commoda, qua milium egregie pollet, efficit, ne ab hieroglyphicis expelli debeat. Nam si quis hominem, qui declinare sciat infortunia, hoc scriptura genere ostentare voluerit, apte Serpentem pinxerint milii furculo circumvolutum, anguis ipsius capite deorsum dejecto, cauda superne sita: quandoquidem ex milio panis præsumptus, incolumem sospitemq; præstat à veneno, naturæ beneficentia, quæ mortale genus remedio tam parabili, atq; omnibus obvio præmunire voluerit contra pestem adeo perniciosam. Idq; tradit Dydimus in his, quæ de re rustica scripsit.

Hominis providi symbolum.

INNUMERA. CAP. XVIII.

Sunt etiam qui spicam milii hieroglyphice pro millenario numero ponant, ac perinde pro innumereis, quia tale etiam est millenarii significatum. Neque desunt, qui numerum ipsum mille, à milio dictum vellent.

Sed potius milium à mille.

DE MODIO. CAP. XIX.

Sed ut ad onycè revertamur, modius in ea incisus est: is quid sibi velit explicemus. Sed quoniam in numis, in picturis, in sculpturis, atq; aliis antiquorum monumentis spectare est alibi modium, alibi late patentem urnulam, nonnumquam & cyathum, sæpius vero calathum, & quicquid vel humoris, vel solidorum est corporum capax, in Serapidis capite superpositum illi enim plusimùm vasa hæc

hæc dedicabantur, quod divitiarum & omnium proventuum nomen haberetur) necesse erit hæc & omnia colligere, ac (veluti vetustas fecit) in unum commiscere.

FRUGUM OPULENTIA. CAP. XX.

Bonorum largitor. Modii sive Calathi usus: Ab ipso canistris. Eclog. 2. Æt. lib. 1.

SIve igitur modius, sive calathus sive quid hujusmodi figuretur, frugum id opulentiam indicabit, quas ipse sive Serapis, sive Osiris, sive quocumque nomine dominus idcirco nuncupari placet, humano generi, sicuti invento, & aratione commonstrata, comparasse dicitur: de quo multa alibi, & quo pacto Osiris quoque in hujus inventi participatum admittetur, discerimus. Illud vero constat, utriusque opes & donaria in canistris offerre, & antiquorum fuisse morem, & nunc palam omnibus esse: quin etiam ubi liberalius, opipariusque aliquid erogatum significare volumus: ut dicitur, dicere consuevimus. Hinc apud Maronem ferunt nymphæ calathis pollentes violas, & alia dona. Alibi Cererem canistris expediunt ministri, Osirim quoque, neque non Cererem, eodem insignitis gestamine Diodorus attestatur, & antiqua pleraque signa ostendere. Neque vero hic repetenda sunt ea, quæ plurima docuimus eo commentario, quo de Capitis, atque adeo Tricipiti significationibus agitur, utrum scilicet Serapis pro Sole, an pro Jove, an pro mundi totius machina, ut Nicocreonis Cyprio Regi ipso est oraculo proditum, accipiendus sit, quoniam eo loco hæc omnia sunt explicata.

AQUA. CAP. XXI.

Vna cur Osiridi dedicata.

Sed enim urnam potius Osiridi dedicatam videas, idque ea de causa factum, quod cum non vintantum, verum totius humoris dominum intelligebant, eumque Oceanum, perinde ac Hydram Thetin. Præferri enim urnam in sacrificiis, qua Deum colerent, mos erat. Hydram enim quondam ingentem summo cultu, & ætonita pene veneratione prosequiebantur, quam obiectam, & cæca religione susceptam, in sacram ædem solenni pompa gestabant, quo cum pervenissent, terræ procumbentes manibus ad cælum sublauiis gratiam agebant, qui primi divina benignitatis munera mortalium usui communicarent: utpote qui ex humore oriri omnia persuasum haberent.

A Thales, ut D. Laer. in ista vita.

CANOPUS. CAP. XXII.

Canopi figura undæ.

Alii, qui philosophiam eam cludebant, quorum è numero Ruffinus est. Canopum quendam apud Ægyptios in hydra speciem figurari solitum ajebant, quod invento callido, cum in certamine contra Persas deventum esset, victorem ignem e vicinis Persæ enim, ut alibi supra ostendimus, ignem numinibus omnibus anteposunt. Itaque minutioribus quibusdam foraminibus hydram, quam contra ignem in periculum adducturus erat, à fundo perterebat, ceraque diligenter obturaverat. qua super ignem solenni certamine posita, vi caloris soluta, ignis extinctus expiavit. Quoniam vero de utrois locupletius alibi dictum, reliqua nunc vasa persequemur.

NON CESSANDUM IGNAVITER. CAP. XXIII.

Enigma Pythagora.

Sed id quoque nescio quid Ægyptiacum sapit, quod Pythagoras super modio sedere nos vetat, siquippè rationis portionem eam, quæ anima ipsa metitur, explorat, atque examinat, non esse otiosa desidiosa remittendam, habendamve negligenter: verum omni excitatione modoque & regula dirigendam, assidueque per cogitationis spatia agitandam. Cæterum D. Hieronymus hoc lubidius arcedici, non debere nos de victis sollicitos esse in die crastinum, prout etiam Dominicus præceptis admodum: quinquam Cyrillus priorè sequitur sententiam. Plutarchus in Symplicis synbolon ita exponit, ut ex præsentimense semper aliquid in futurum relinquamus, & crastini diei hodierno meminerimus. Reliquidè parata non erit ulterius consultandum, ut nudipes ille Phrator hospitem elusit, eam satur recederet, & ex reliquis capum integrum coctum in manicam conjecisset: interrogante hospite, quid eo facturus esset, in crastinum se alportare, dixit: cui cum subjecisset hospes, atque lex nobis descripsi a est, ne de crastino cogitemus: suscepit ille Phrator, Pareo igitur legi, qui hoc nobis prædictum sit, nullo modo, nihil quicquam super crastino sollicitus. Sed ut in re seria facessat joci, Plutarchus ad eorum morem, quibus mentes inanes tollere magna erat religio, symboli videtur accommodare. Nam Chæmicem pro

Facta historia.

A pro diurno victu capi, quam Latini Sportulam appellarunt, tum ex eo manifestum est, quod apud Herodotum legitur, Regibus Sparta ad cenam non euntibus, binas farinae chœnices mitti solitas, tum quod Alexander chœnica vocat *hieroglyphica*. Significaret igitur symbolum, non debere nos in sportulis vitæ nostræ totius ita spem collocare, ut sedē in eis statuta, totum vitæ tempus ignaviter desideamus: sed aliquam in eam rationem, consiliumque capiamus, ut nobis aliquando vivere possimus, opeque nostræ tandem in nobis ipsis, non in alieno arbitrio sitæ sint. In Divinis literis Modus hieroglyphicum est dogmat' atq; doctrinæ: quam Judæi profitebantur, veritatis lumen sub eo recondentes: quam sententiam explicat Hilarius super Matthæo: ideoque proferendam esse lucernam JESUS admonet Apostolos, & quæ apud eum copiose.

*Diavri-
bos.*

DIALECTICA. CAP. XXIV.

Zeno multipliciter solitus Dialecticorum argutias eludere, sed eo præcipuè dicto, quod eam ju-
stis quidem mensuris æquiparavit, quibus tamen non frumentum, sed paleas, fimumq; quis di-
metiretur. Ita hieroglyphicum Zeno faciebat, Dialecticam ostensurus paleas modio dimensas.

*D. Latr in
eius vita.*

ANIMUS. CAP. XXV.

Vas obturatum plerumque animi significatum habere perhibetur. Unde Lacenæ mulieres Ollas
in Regum suorum justis pulsabant per urbem discurrentes, ut ita civitatem orbam Rege, ani-
mo carere significarent, quemadmodum ollæ illæ inanes erant. In Divinis vero literis, ubi Psalm 72.
legitur: *Pene effusus sunt gressus mei*, de rupti aut inversi vasis similitudine sumptum a junctis interpretes:
uti enim liquor è vase in terram effusus perditur & evanescit, ita cogitationes suas & animi sententias
dicit pene effusas, in vanas scilicet & inanes rerum fabulas evagatas: quod forte de nobis nugas has
sententibus dici possit. In quo tamen illud me consolatur, quod multa omnino in his nugis discipline
veteris arcana, quæ hæc ænus sepulta jacuere, nē in ante me lapidem hunc movente, industria nunc
primū mea cæpere in lucem profertur, & tibi similibus, quod satis est mihi, & aliis, oblectamentum
si quod afferre. In Chaldæorum quoq; scriptis animus appellatione Vasis accipitur: ut illud, *Vastum*

*Vasis hiero-
glyphica.*

*Pierii depre-
catio hiero-
glyphicorū.*

Cinhabitant bestia terra: ita videlicet & libido, cupiditatesque aliæ quos affectus communes cum belluis
habemus, & quod infelicius est, tanta interdum apud nos autoritatis, ut ad brutalem sæpe nos vitam
impellant. Hoc illud est, quod Plato ait libr. de Repub. alere nos domi diversa brutorum genera, quæ
Deus ad hominem, ut in Divinis literis habetur, accessit adjumento futura, ea tamen omnia inter-
turbant, omnia subruunt, eum freni impatientia nullo possunt regimine, nulla castigatione coerceri:
id quod tunc accidit, cum nostri vigoris, nostræ immemores ingenuitatis, iis sponte nosmet dedimus
in servitutem. Concitatus enim animus, nisi parere cogatur, imperium sibi arripit, & dominationem
exerect. Vas animæ vocat Paulus carnem nostram, quam etiam honorifice tractandam monet. Nō
nunquam tamen eandem exteriorem vocat hominem. Vas vero capacitatis nomine dicta est, qua i-
psam capit animam & continet. Homo vero de communione naturæ, ut Tertullianus diceret, quæ
eam non instrumentum in operationibus præstat, sed ministerium. Apud Hieronymum septimis su-
pra tricesima Hebræorum castra, invenias nos mortales hieroglyphice pro fictilibus vasis intelligi, in
quibus preciosissimum thesaurum reconditum habeamus, quæ cum ita fragilia sint, ut vel minutissi-
me confringi possint, omni studio, cura atq; diligentia cavendum, ut cor nostrum recte muniamus,

Genes. c. 7.

*Sic vasa,
Plato: iux-
ta corpus
quasi supul-
chrum.*

sepiusque validioribus circumdemus, ut adictus quoslibet firmum integrumque servetur. Olla
ait Eucherius, cum sit condimentorum, quæ ad humanum victum pertinent, receptaculum, in Di-
vinis literis pro sobole vel progenie solet accipi: nam veluti ex olla desumitur, quod ad victum facit,
cujus beneficio humana vita sustinetur, ita de humano vasculo genitura depromitur, quæ in multas
hominum etates propagatur. Ideo Psalmo 60. Legas, *Moab olla spei mea*: hoc est, Ruth, quæ Moabitibus
fuit progenies, illa est, quam spe concepi: nam Christi generatio, quantum ad humanitatem, per Ruth
ipsam in posteros propagata est. Eodem spectat Apostoli dictum: *In domo magna nō sūt tantum vasa*
aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, alia quidē in honorē, alia porro in contumeliā. Et inhonoratus
est Jechonias, quasi vas cujus nulla esset utilitas: quoniam cum in domo Dei ex numero esset familia-
rum, se turpitudinibus sceleribusq; summisit, ideoque ea super homine scripta sunt, Nunquid vas fi-
ctile,

*Olla hiero-
glyphica
in divinis.*

2. Thim. 2



Rom. 9.
Sustinuit
vasa ira.
In lib. O.
pera
diti.

Elite, certumq; vel attritum vir iste Iechonias? At bone Deum, quid aliud clamat Oedipus apud Sopho- A
clum? Ita me tu opibus bellum educaſtis vas repletum ſordibus? Alibi ad apertis theſauris vaſa indigna-
tionis à Deo prolata comperias, hoc eſt, reſectos animos, in quibus & ira, & pravi affectus reſe-
concluderentur, de quibus plura apud Theologos. Heſiodi quoq; interpretet dolium vas allegorice
pro vita animiq; noltri ſuſtentaculo accipitur eo Agricultura loco:

Α γυναιξ 3 μιλν υγι 4 υγιος 5 υγιονος 6
Μικροδολιου.

De ſummo ſatiare cado, & cum cepit ad imum
Deſicere, at medio memor eſto parcus uti.

ubi dictum ajunt de pueritia, virilitate, & ſenectute, quippe pueros & ſenes jucundiores vitam eg-
re debere, genioq; liberius indulgere: viros vero. etatem firmiorem, parce omnia ſibi permittere,
modumq; voluptatibus omnibus adhibere, vitamq; unde cumq; laborioſam adariare. Utrum vero
Heſiodum hoc ſenſiſſe dicamus, an quod Alexander Aphrodiſeus interpretatur, de vini parte me-
liori, viderint alii: nam ad Alexandri ſententiam accedit etiam proverbium vulgo dictatum, *Sevras*
eſſe in fundo parſimoniam.

PERSUASIBILITAS. CAP. XXVII.

Doliola
Plutarchi.

A Pud Platonem in Gorgia, legas Socratem ex Italia cujusdam viri elegantis commento, eam ani-
mae partem in qua vigescunt cupiditates, propter perſuasionem crudelitatisq; lubricam Do-
lium appellatum, quod Graeci nominis vox *δολιον*, non à *δολον*, ſed à *δολαιον* deduci videatur. At quæſierim
fortaſſe aliquis, quid ſibi voluerint doli duo, quæ olim in ſacello quodam Romæ ad cloacæ immuni-
mam, via quæ ad Carinas ducit, habebantur: quo quidem in loco ſpere ne faſceris: quod porro ſacel-
lum Doliola Plutarchus vocatum ait. Nempe nihil aliud, ut nonnulli tradunt, niſi duo fuiſſe doli, ab-
terum in quo Numæ ſacra quædam à Veſtalibus virginibus abſcondita ſervataque fuerint, cum plerum-
que irruptione ſacra quædam à Veſtalibus virginibus abſcondita ſervataque fuerint, cum plerum-
tu perculſa, deſerta Urbe fuga ſibi conſulaiſſent. Ibi enim ajunt ſimulacra duo fuiſſe militari habitu,
quæ ſedebant, & pila manibus tenebant, quibus titulis ſuberat, *DI PENATES*. Significabat vero
ſeſſus, firmatam Imperii ſedem: pila, hoſtes ſummos, procul arma reliqua: Romani populi virtu-
tem, & munimentum, ut apertius alibi ſingula pertractavimus.

LIBIDINES. CAP. XXVII.

Dolium
pe foratū.
Sic Plaut.
in Pseud.
do dolum
perforatum
vocat; ob-
livioſum.

Danaides.

S Ed ut ad Platonem redeamus, eam animi partem, quæ libidinibus agitariſſet, Italus vir ille pro ſe-
piente citatus à Socrate perforatum dolum exiſtimabat, cujuſmodi eſſent demones profani, &
judicio damnati viri inexplebili incontinentiâ præditi, qui propter inſidam animi compagem, obli-
vionemq; fluxam eorum, quæ honeſta juſtaq; perceptiſſet, nihil quicquam in ſuſum continere poſ-
ſent. Idcoq; Lucretius hunc ſecutus ait, lib. 3.

Deinde animi ingratiſſam naturam paſcere ſemper,
Atq; ex plere bonis rebus ſatiareq; nunquam,
Cum redunt ſetnaq; ſerunt, variosq; lepores,
Nec tamen explemur vitæ fruſibus unquam,
Hoc, ut opinor, id eſt, ævo florente puellas
Quod memorant laticem pertuſe congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

HUMANI AFFECTUS. CAP. XXVIII.

Philopho
rum ſuper
modo an-
tenia
Epistola 2.
Lib. 1.

Philophi, qui ſacras literas ad morum tantum rationem trahunt, cum in arcam Noe omnes ſe-
rarum ſpecies introductas legent, arbitrati ſunt intelligi debere ex hujusmodi hiſtoria, in hu-
manum corpus ſerios omnes affectus, cupiditates, & appetentias introductas. Sunt vero ex his, quæ
difficiliter ex mari cicurave, aut manſueſcere poſſint. Quare clamat Horat *Regendum animoſ,*
qui niſi parat, imperat: hunc tranſis igitur, hunc catenis compeſcendum. Rerū itaq; opifex terram af-
fluentibus aquis expurgaturus, hoc eſt, ut Philo ait, animum ab iniquitatibus expurgaturus, Noæ ara-
cam,

A *recam, animi quippe vas, septem ex puris jumentis deferre jubet, visum scilicet, auditum, olfactum gustatum, tactum, sermonem ac concupiscentiam quos defæcatos habere decet sapientem, cum me- la innumera ab exlegibus & rationis expertibus animæ portionibus erumpant: à quibus maxima assiduamq; bellum insurgit, eo præcipue tempore, quo mortale genus otio defidiaq; torpescit. Quare Persius, udum & molle lutum ne obdurescat, & ad opus fiat inhabile, properandum, & acci fingendum sine sine rota monet.*

INANIS ANIMUS. CAP. XXIX.

I *dem animum fidelia comparat, percussamq; sonare vitium ait, maligneq; respondere, quæ viridi informata limo non satis excocta sit. Et futile illud & apertile vas animum profus manem ostendere profectur, cum dicit, Effluis amens, contemneret. Apud nostros etiam vas corpus est; Paulus enim corpus T. bernaculum vocat, nam dubio procul corpus animæ receptaculum est.*

SERMO. CAP. XXX.

B *Quod vero monuit Pythagoras, *enar oi; aida pa iudodo.* Plutarchus sermonem urbanum, qui quosq; cum sermonem Aegyptiorum mor. proliquo, aut rore pluvio, vel unda profluente accipi- ar, in minime syneerum vas, ne accescat computrescatve, infundendum vetat. Ad quod nimirum re- spexit Horatius, cum dixit:*

Syneerum est nisi vas, quodcumque infundis, accescit.

Cibum in matulam ne immittas.

Epist. 1. l. 1. c.

OBLITERANDA MALI MEMORIA CAP. XXXI.

I *llud etiam ad animi significatum facit, quod ubi ollam à cinere sustuleris, Vestigium turbandum Pythagoras censet, hoc est, simulatq; defuerit atq; refederit animi tumor, mali præteriti me- moriam oblitterandam, & icacundia vestigium omne penitus tollendum, ut Plutarchus in Symposia- cis interpretatur. Eoq; divinum præceptum facit, *Sol non occidat super iram vestram.**

PERENDA MAJORUM DIFFICULTAS. CAP. XXXII.

Q *uam vero ollam nuptæ novæ postridie nuptias à matre sponsi petere jubebantur, quam illa & purgatis & convitiis asperius intortis abnegaret, institutum ferunt apud Leptitanos Libyæ pò- pulos, ut ipsa vel ab ipso primordio locus difficultatem patienter ferre consuecetet,*

Ephes. 4.

SERVITIA. CAP. XXXIII.

A *Ministerio autem vasa servitutis indicia sunt; unde apud Plautum I. gas de insolentissimo ado- lescente, qui omnes pro solutis scopis habebat: *Nisi mihi matulam dederitis, vos habebō pro ma- tula.* Inter enim vasa vilissimi usus lotioria sunt. Et tale aliquid apud Lucianum olfacies, *πρωτὶ τῶν πτωχῶν ὀφθαλμῶν* ubi potentiorum fastum tangit *ὡς ἀπὸ πίδακος* mingeantium. Id utcumque in Divinis quoque literis vasa pro servitiis ponuntur, propterea, quod non nisi in ministerium aliquid comparantur. Hinc nonnulli quem Psalmi 60. locum ex Eucherio citavimus. *Moab lebes spei meæ*, simplicius intelligen- tes exponunt, *Moabite ad servitium meum sistenti sunt.* Iam illud de Paulo vulgatissimum est, quem pro vase, verum eo pretioso, Dominus nosler Iesus CHRISTUS se professus est elegisse, Ita plurimum calathus hieroglyphicum est servitutis, sive corbes, sive cophinus appellatur. Unde illud de Iosippo*

Vasa servi- tutis indica- cia.

AA. c. 9. Psal. 80. Cesaralli.

D *ex Psalm. 80. citat Eucherius: *Manus ejus ad cophinum servierunt.* Nam & geruli dicuntur viri gestan- dis oneribus conductitii & Venetiis passim foro plurimum cætario, olitorio & boario qui operam hanc præstunt, Ciste autem nuncupatione accersuntur. Et quoniam cibum alibi refertur ad animi pa- stum ostendimus panemq; esse doctrinæ symbolum, duodecim illæ fragmentorum corbes, quæ de profusa Christi liberalitate superfuere, duodecim Apostolorum doctrinam, ut idem Eucherius sen- tit, indicasse videntur, quæ ne perirent accuratissime procuratum.*

AMICITIÆ CONFIRMATIO. CAP. XXXIV.

P *ocula vero vicissim porrecta, invitationesque ad comotandum, amicitie confirmationem ef- fect, tam nostri temporis mos est, quam antiquorum omnium institutum, Hinc apud Maronem*

Poculum porrectum amicitia symbolum.

*Item Athe-
naus in
princip. l. s.
Iuppiter ni-
mirum Xa-
nius, & ho-
pitalis.*

Dido cum Hospitali Iovi libasset, mox Bitiæ dedit, inde alii proceres ad poculum invitati. Sed nã pi-
geat temporariæ hilaritatis ergo Virgilianum super hoc earmen repetisse. *En. lib. 1.*

*Hic Regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitq; mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo soliti: tum facta silentia tellis,
Iuppiter (hospitiibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc latum Tyriisq; diem Trojaque profectis
Esse velis, nosq; huius meminisse minores.
Adsis letitia Bacchus dator, & bona Iuno.*

*Et vos o cætum Tyrii celebrate faventur,
Dixit, & in mæsa lacticiu libavit honorem,
Primaq; libato summo tenuis attingit ore,
Tū Bitia dedit increpitâs, ille impiger hosti
Spumantē pateram, & pleno se prelinat, auro.
Post alii proceres.*

*Tantali
phiale.*

In huiusmodi significatum trahunt Tantalii phialam ex qua Brachmanæ Philosophi prius bibere so-
liti essent, quam somno indulgerent, humore per se nunquam deficiente. Philostratus enim amicit-
iæ confirmandæ causa ejusmodi computationem apud eos institutam autumat. Moris huius memi-
nit D. Hieronymus in veteris Instrumenti liminari pagina, sed pro phiala fontem ponit, eodem o-
mnino significato, quo super quidam Grammaticorum proceres diutissime concertarunt. Mihi vero
videtur fontem dixisse Hieronymus, ad vim illam uberem & inexhaustam ostendendam, cum liquor
ille, veluti ex perenni fonte, manare quotidie videretur, De mystico autem liquoris ejus significato in
Roris pluvii commentario est abunde disputatum.

CONCORDIA. CAP. XXXV.

*Orbiana,
Julia Pau-
la, & Sabi-
na Aug.
numi.*

AD amicitia confirmandæ significatum signa etiam veterum numorum accedunt, in quibus fre-
quentissime pateram exporrigi videas: ut in Orbiana numis, quorum inscriptio est, **CONCORDIA**
AUGUSTORUM. Sed & ipsa Dea sella, patera per dexteram porrecta, læva duo copie cornu te-
net. Hæc eadem sunt in numo Julia Paulæ Augustæ, cum inscriptione, **CONCORDIA.** Sed in Sabina
Augustæ numis, sigillum id quod sella sedet, læva innititur lanceæ, dextera pateram porrigit, inscrip-
tio, **CONCORDIA AUG.**

CLEMENTIA. CAP. XXXVI.

HÆC eadem habentur in numo Antonini Augusti Pii, cujus inscriptio est, **CLEMENTIA**
AUG.

LIBERALITAS. CAP. XXXVII.

Sunt qui patinam expansam inter hæc Ægyptiorum commenta liberalitatis indicium esse dicant,
quod ego nusquam apud veteres, quod meminerim, observavi: feliciter tamen excogitatum
non negarim, habereque cum calatho similitudinem: de quo multa superius, ubi de modo disse-
ruimus.

LIBERTAS. CAP. XXXVIII.

*Sculptura
Roma pul-
cherrima.*

ALii pelvim & guttum eodem pene significato, vel etiam ubertatis significatione describunt:
quæque defunctorum cippis signa huiusmodi hinc inde passim apposta conspiciuntur: nimi-
rum indicant iusta rite atque liberaliter persoluta, neque esse ut manes quidpiam aliud a pietate no-
stra desiderent. Speciem vero hanc antiquam esse ex plerisque veterum monumentis asserimus, sed ex
ea præcipue sculptura, quæ mihi omnium in hoc genere pulcherrima visa est Romæ in Æculap-
peo naos, ubi sepulcrum est, à fronte cujus prima patinam & guttum, & corymbos omnibus fructuum
generibus, cum pediculis & foliis suis artificiosissime laboratis suspensos videas, à capite vero specio-
sissimum candelabrum duabus lauris hinc inde adstitis, cum bacis & foliis suis subtili deo arte fa-
ctis, ut ad obtutum tremere & crepitum cedere videantur. In Divinis vero literis multa super collee
proponuntur, quæ si omnia complecti velim, nullus unquam erit operi finis: quare paucissimis con-
tentus, satis habeo, locum aliis intento digito commouisse, Argumentum enim hoc totum per-
tinet ad Theologos.

SUPPL.

FREQUENTISSIMUM est in Divinis literis poculum aut calicem pro capitali supplicio ponere, quod inter sanctiones suas Athenienses præcipue susceperunt. Iudicii enim capitalibus vel cicuta succum, vel venenum aliud fontibus propinabant, ut ex Socrate & aliis manifestum est. Et Psalm. 10. calix pro mortis cruciatu ponitur. Et in Evangelii eodem significato: *Calicem quem ego bibo vosne potestis bibere?* Et: *Pater scilicet potest, summo veatur à me calix iste.* Apertissime quoque eo versu Psalm. 74. *Quoniam calix in manu Domini vini meri mixtione plenus.* ubi de penarum dispensatione sermo est, ut Græci Theologi disputant: Dominus enim uno calice merum propinat, hoc est, amaritudinem suppliciorum. Amariora enim vino tum Catullo, tum aliis dicuntur, quæ meraciore sunt. Altero mistum, hoc est, aquam misericordie ad penarum temperamentum, quod subsequenter statim verba declarant: *Et effudit ex hoc in hoc, quamvis qui literam Hebraicam sequi se profitentur, longe aliter rem exposuerint.* Illud enim, *Calicem salutaris accipiam,* Euthymius ita interpretatur, ut dicat, *Quoniam tot & tam magna sunt beneficia que Dominus in me contulit, ut nullo possim modo parere illi gratiam referre, ita me comparabo, ut si usque veniat, animam propter amorem ejus sine audacter effusus, quippe quo vis martyrii cruciatu emoriturus.* Hinc nulla tormentorum atrocitate terribus clamat heros Rotatus meus, quem tulibenter adeo legebas:

*Neme effuse cruor, neu me terrete minaces
Mucrones, radique. Mox,
Dum carnis erando, dum sanguinis imber inundat,*

Ita precabatur:

*-- Cape prima cruoris
Libamenta pater, vivo hoc me flumine ab omni
Labe, & ab incestu mortali per lue, ut inde
Hostia pura tuas feriar maclandus ad aras.*

Non igitur temere prius in tyrannum dixerat:

*Ut libet hos artus lacera, suspende, truciade,
Et meus est hac passus amor. & hujusmodi alia.*

Quamquam salutaris calicem & Chrylostomus, & plerique alii aliter acceperunt, quod brevitatis causa prætereo.

SAPIENTIA. CAP. XL.

QUEM vero tripodem aureum Græci Apollini dedicarunt, ejusque capiti gestandum superimponere, sapientiæ hieroglyphicum esse nemo dubitavit, qui norit historiam super eo traditam: Tripodem aureum extra tum quippe tripodem aureum è mari, sapientissimo à judicatum Apollinis ipsius oraculo: cumque mortales ad Socratem munus id detulissent, quod ei deberi publico omnium judicio decretum esset, remisit is tripodem, & Apollini deberi, non cuiquam alteri, respondit.

DE CORNU COPIÆ CAP. XLII.

Reliqua sunt in Onyce tuo Cornua copiarum duo, de quorum significationibus disputare superfluum videtur, propterea quod nihil his vel universo vulgo notius: quia tamen antiquorum numerum commemoratio, quæ plurimum ad hoc negotium facit, non in jucunda futura est, hanc quoque partem nihil gravi tractare aggrediemur.

LIBERALISSIMA BENIGNITAS. CAP. XLIII.

Illud sane & antiquum, & maxime celebratum est, in liberalissima benignitatis & largitionis effusivissimæ signum Cornu copiarum figurari, quod tum in fluviorum, præsertim navigabilium, tum in aliorum numinum manibus, ubi larga significanda sit opulentia, spectatur. Multa vero passim in

numismatis ejusmodi cornua videas, nunc liberalitatis, nunc felicitatis, nunc concordia, nunc pacis, nunc annonae, nunc hilaritatis, nunc hujus vel illius indicia commoditatis & boni, ut quicquid deniq; laetum aut oportunitum humano generi sit, inde nobis afferri videatur. In numo enim Antonini Aug. Germ. simulacrum est laeva cornu copiae tenens, dextera vero ventilabrum cereale, cujus inscriptio est, LIBERALITAS AUG. Eadem insignia cum eadem inscriptione habentur etiam in Hadriani numis aliquot. Quem vero L. Septimius Geta Caesar cufit, sigillum habet eius calcei in dextera, in laeva vero Cornu copiae cum inscriptione, FELICITAS TEMPORUM. Duo vero cornua semicirculum facientia valculis sursum versus erectis, juxta vero invicem invicem colligata, habentur in Antonini Pii numis. inscriptio, FELICITAS, in alio ejusdem Antonini simulacri est laeva Cornu copiae gestans, dextero vero intenta face arma à pedibus strata incidit ac perdit cum inscriptione, PAX AETERNA AUG. Sed enim & clarissima femina non dissimili fere argumento numismata meruere, veluti Julia Paula, cujus numum in patera citavimus, cum inscriptione, CONCORDIA. Et Marcia Otacilla Severa Aug. in numo pateram, & copiae cornua duo praefert, cum inscriptione, CONCORDIA AUG. Eadem inscriptione in Orbiana Aug. numo, de quo paulo ante. Sunt vero cornua haec non adversa, ut quae in superiore Antonini numo profectitate posita sunt, sed invicem coherentia.

Antonini Aug. L. Septimii, & Antonini Pii numismata.

HILARITAS. CAP. XLIII.

Concordiam non in merito sequitur hilaritas, quare venit in mentem mihi numus Faustinae, in quo sigillum est quod laeva Cornu copiae, dextera thyrsum a solo ad caput usque frondibus & corollis ornatum tenet: unde sumpta inscriptionis occasio, quae hujusmodi est, HILARITAS. In alio quodam surculum palmae videas à solo supra caput assurgentem, quem medium dextera ipsa comprehendit, laeva Cornu copiae gestat: inscriptio est, HILARITAS. Non temere vero ubi pax aeterna, ibi concordia: ubi concordia, ibidem hilaritas: ex his autem oritur felicitas, quam in Vespasiani numo caduceo in signem, & Cornu copiae ornata videas. cum inscriptione, FELICITAS PUBLICA. Caduceusq; idem, atq; idem cornu copiae in Trajani numo est, cum inscriptione, FELICITAS AUG. Horatius quoque hilaritatem & felicitatem hujusmodi eo tempore universa Italiae scribit obtigisse, quo tempore rebus ab Agrippa contra Cantabros, à Claudio Nerone contra Armenios optime gestis, eo loco erat res Romana, ut ex voto omnia succederent: id eoque, ut ille ad Lucium ait:

Faustina numus.

Epistola 12

Epist. lib. 2. epist. 22.

--- Aurea fides Itale pleno diffudit copia cornu.

FORTUNA AMATORIA. CAP. XLIV.

ERat olim Aegyra (ea Achaia civitas est) Fortunae idolum cum cornu copiae juxtaquam Amor a-latus assidebat, indicio ut Pausanias arbitratur. ea quoque quae ad amorem pertinent, fortuna magis quam pulchritudine secundari. Quod vero divitias fortunas appellant, neq; in congruè, neq; novo invento factum. Pausanias enim Bubalum àt omnium primum Fortunae simulacrum Sisyphus is effinxisse, in cujus capite polum statuerit, in altera ex manibus *καρπὸν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ* quae nunc vulgo divitiarum cornua nuncupamus. De polo Pindarus qui *καρπὸν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ* appellavit. Huc facere videntur *καρπὸν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ* illa, de quibus meminit Aristophanes, Pluto quae servorum novitiorum cum primum domum ingredienderent, capitibus ante focum profusdebantur. da Gylipque palmarum, numuli, legumina, carica, nuce, & hujusmodi bellaria cum servis omnib. impune diripienda, quae quidem in annuae ubertatis omen fieri consueverant, vel ut ipsi frangi esse meminissent. Iustitiam mox idem ex Theopompo didicimus fuisse boni auspicii causa, in sponsi caput.

Fortuna simulacrum
Fortunam polum ferentem.
Bellaria quib. profusdebantur sponsi, & sponsa
Epist. nec
quid primum domum ingredienderent, capitibus ante focum profusdebantur.

POCULA. CAP. XLV.

Praebuerunt autem olim cornua poculorum usum cum nondum vasa excogitata essent, ut apud Nicandri interpretes legimus: indeq; *νεγυρῶν*, quod miscere est, a cornu deductum. Sive quod potator est aurinum quidam asse quantur: quippe animos, fero citatem, & pugnacitatem, neq; dicto neq; facto parcant, sed ut animalia quae cornibus praedita sunt, ad ferendum sese paratiora ostendat. Vide

Cornua pro poculis olim.

Unde Horatius dixit, ebrietatem ad praelia vel inermem trudere; eaque de causa Bacchum taurinis cornibus insignitum ajunt. Atq; hoc illud est quod convivas coronari mos fuit. Nam coronam à cornu fluxisse in Commentario suo, & quæ plurima ad hanc rem faciunt, offendimus. Apud Xenophonem tamen de Græcorum reditu plerisque locis invenias, eos non nisi corneis poculis acceptos, quod apud Gentes innumeras cornua vasculorum usum subministrarent; quare Nicandri dictum ad historiam potius, quam ad Philotophiam referendum.

Epistola ad
Torquatum.

CLEMENS ANIMUS. CAP. XLVI.

Videre vero est Cornua illa copiarum nuncupata, & vasa reliqua, variorum modo fructuum, modo arborum, modo herbarum plena. Quale igitur significatum habet id quod ex vase pullulat, tale aliquid insidere animo intelligendum: quippe si fructifere oleæ ramusculos inspicias, clementem animum interpreteris: si Palmam, invictum & victoriæ compotem: si Laurum, ab humilibus negotiis, caducisq; rebus alienum, cælestiaq; & permanens semper attentantem.

ARTES DISCIPLINÆQUE INANES. CAP. XLVII.

Parimodo vasa sterilibus arboribus, & inutilibus fructibus oppleta, hieroglyphicè inanes artes, vanasq; disciplinas ostendunt. Per steriles enim & inutiles fructus in Divinis literis artes illæ intelliguntur, interprete Philone, quæ contra veritatem justitiamq; comparantur. In quibus medicinam in primis enumerat, ubi non ad sanitatem, sed ad lucrum comparata sit. Cui mox oratoriam adjungit, advocatoriam scilicet illam & mercenariam, non ad justitiam, sed ad decipiendos fallacibus suadunculis auditores intentam. His dialecticam illam comitem adhibet, quæ nihil ad mores, hoc est, ad veros animi fructus facit; utpote quæ nugatur tantum argutiis & subtilitatibus gallinaceum hic ex illo suo copiarum cornu propinare se polliceatur, cum tamen sit rerum omnium inanis, ollasque tantum, ut Plutarchus de istis ipsi ait, ostendet. Invehitur & Origenes in hos ipsos, ubi eos piscibus squamâ pinnisq; carentibus similes esse dicit, hæsitareq; semper in luto, nec ad aquarum superficiem, aerisq; participatum unquam attolli esseq; hoc genus illud piscium profanum, quod à factis omnino pellitur.

Steriles
fructus in
Divina.

In libello
de suscul-
tando.

VERA FOECUNDITAS. CAP. XLVIII.

Orni vero copiarum verum illud est, quod ab animo, qui veram profiteatur agriculturam, impletur. Ea vero est quæ ab agro suo insipientiæ, intemperantiæ, iniquitatis ac fortitudinis arbores exciderit, & à radice penitus extirparit: voluptatis insuper, cupiditatis, iræ, furoris, & venenorum aliorum plantas ad cælum usque porrectas ita eradicaverit, ut neque vestigium earum ullum relinquatur ac quicquam aliud, quod occultata citaque propagine prorepens aliquando subpullulare contendat. Cujusmodi vero sint arbores quæ prorsus indicent affectus, ostendit Horatius, cum de spinis pluribus exemptam unam, nihil aut parum juvare disserit. Atq; alibi,

Vera agri-
cultura
qua.

Certemus (inquit) spinas animone ego fortius an tu
Evellas agro, & melior sis Horatius, an res.

Epist. li. vi.
epist. 4.

His inquam evulsis, earum mox loco subpullulent panguntur ve plantæ, quarum fructibus repletum cornu offeramus Deo, ut illud: Ecce odor silis miscent odor agri pleni, quem Deus numinis sui rore fecundavit, & ad optimam frugem jussu pervenire de nobis dici mereamur.

Gen. 2.

JOAN-